

Die Urkunden Karls des Großen, 257

Karolus dei gratia rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum.

Quicquid sacerdotes de suis et ecclesie sue necessitatibus nostris auribus infuderint, id pio animo suscipere equum censemus deque misericordiam in supplendis petitionibus illorum promereri liquido credimus. Quapropter noverit omnium dei ecclesie nostrique fidelium industria, quomodo vir venerabilis Erembertus Wormatiensis ecclesie episcopus nostram excellentiam adiit se reclamans ob contentionem quandam, quam rei publice iudices et exactores fecerunt inter ecclesiam suam et inter regiam potestatem de silvis Otenwald et ceteris utensilibus in pago Lobedungowe volentes omnem usum predicti pagi in dominicum fiscum redigere. Propterea ante nos in manibus detulit preceptum Dagoberti regis Francorum, in quo tenebatur, qualiter idem Dagobertus rex Francorum ad basilicam sancti Petri apostoli, que est in Wormatia civitate constructa, tradidit civitatem Lobedunburg in pago Lobedungowe sitam cum omnibus rebus ad illam pertinentibus, hoc est edificia mancipia vineas ferras cultas et incultas agros prata campos, omnem silvaticum in silvis Otenwald cum omni utensilitate in omni pago Lobedungowe in undique in Iutraha in pascuis materiamentibus aquis aquarumque decursibus piscationibus quesitis et inquirendis, nostrum teloneum, mercatum et quicquid ad fiscum pertinebat, excepto stipe et comitatu ex integro omnia concessit et sub integra emunitate omnia ad eandem basilicam pertinentia sua preceptione confirmavit. Preterea in nostram presentiam attulit cartas et precepta predecessorum nostrorum, regum videlicet Francorum Hilperici et genitoris nostri bone memorie Pippini, in quibus continebatur, quomodo ipsi principes et reges Francorum preceptum Dagoberti et omnes predictae ecclesie res suis preceptionibus confirmassent; sed pro rei firmitate petiit celsitudinem nostram, ut nostra etiam auctoritate id ipsum confirmaremus. Cuius petitionibus ob anime nostre remedium libenter annuentes dissensionem finem fecimus et hoc nostre auctoritatis preceptum eidem ecclesie fieri decrevimus. Addidimus etiam de nostro et donavimus ad prefatam basilicam sancti Petri principis apostolorum ecclesiam in villa Edinga constructam et quandam censualem terram in villa Huson nominata cum curtibus et omnibus utensilibus ad eandem terram pertinentibus, campis pratis pascuis aquis aquarumque decursibus, et decem mansos in villa Ulvinsheim. Et ut hec auctoritas nostre confirmationis et traditionis in futura tempora inviolabilis permaneat, manu nostra subter eam roborare decrevimus et de anulo nostro sigillare iussimus.

Lutherus recognovit.

Data mense iulio anno XXX regni nostri; actum Valentianis.